



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

III. Forma coenae Calvinisticae, quae Manducatio tum appellabatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

rent, verum etiam de religionis ejusque propaganda modis inter se conferrent. Ibi alii Saxoniam, alii Tigurinam, complures Genevensis Fidei Confessiones in medium producebant: sed sensim Calvinismus Lutheranismum multis parafangis superavit. Calvinus enim etsi Argentorati desideret, oculos tamen undiquaque circumferebat, ac scripta sua tam Latina quam Gallica, Fidei compendium continentia, circummissitabat. In quibus spargendis multi tanto ardebant fervore, ut nec rei familiari, nec vitæ etiam parcerent. Vix lucem aspexerat Calvinus Catechismus, quum statim in omnes ferè linguas, Hebraicam, Græcam, Latinam, Italicam, Germanicam, Polonicam, Anglicam, Scoticam, Belgicam, & Hispanicam translatus fuit: ut scilicet omnibus nationibus novum hoc innotesceret Evangelium. Quæ res dici vix potest quantam animarum stragem dederit, eorum nempe qui glandes ambrosiæ, putres lacunas ætari, stercus margaritis præferabant, & terram in Novatorum istorum, quam cælum in SS, illorum Patrum speculo aspiciere malebant.

II. Dum ita in occulto, metu legum, novæ religionis cultores delitescunt, erant inter eos qui Monitores (*Advertisseurs* Gallice) appellabantur, qui fratribus symbolum & locum in quo conventiculum habendum, & simiarum more aliqua religionis imitatio exprimenda esset, indicabant. At velut insautæ illæ & à reliquarum consortio exclusæ aves non nisi noctu circumvolitant, vixque ullum fomnum ac quietem capiunt: sic quoque novitii isti Christiani tum maxime

*Quum tacet omnis ager, sylvæ piteæque volucres,  
Atque homines pecudesque simul sopor altus habebat,*

cœtus suos obibant. Quæ quidem res multis impudicis factis, ut quidam perhibent, occasionem dedit, spiritali charitate in carnalem amorem conversa. Fama certè ferebatur, precibus factis, lumina non secus atque olim apud Adami in Bohemia, extinguere, tumque à singulis quam quisque veller, comprimere. Hic quidem cœtum obeundorum mos, præsertim in vasta illa Parisiorum urbe, diu fuit usurpatus, atque inde, Monitorum illorum, tamquam amoris inter feminas & viros proxenatarum opera, multorum pudori vel fraus facta, vel vis illata. Audi quid Cayerus, testis in hac re fide dignus dicat *Seniores*, inquit, *præsertim in occultis ecclesiis, sub se Monitores quosdam habebant: quorum tamen munus, ob multa quæ inde prove-*

*nerunt scandala, postea sublatum fuit.* Vide quomodo illi Ecclesiæ exemplo, ad tempus aliasque occasiones sese accommodent, formamque mutant, ut & in multis aliis rebus. Quæ vero illa scandala sint, addit Cayerus, Feminis scilicet nonnunquam unum locum pro alio fuisse indicatum, unde illæ in maxima pericula & angustias inciderint. Quod quidem exemplum, inquit idem Cayerus, bene considerandum est iis, qui sub precum prætextu noctu ita oberrare amant: quum interim à vera Ecclesia separati sint. Nec vero nocturnæ à D. Paulo habitæ prædicationes lucifugas hos excusare valent: quum Spiritus Sancti Ecclesiam semper gubernarit, & à pollutionibus ejusmodi integras servarit. Hæc Cayerus, qui sane plura sibi comperta, addere potuisset. Porro ne cœtus ejusmodi facile deprehendantur, eis habendis domus quam commodissime sitæ, multique pseudodhyris instructæ eliguntur, ut nec ingredientiæ facile notari, & superveniente periculo tanto facilius elabi possint. Minister vero qui concionem habet, fritillum & chartas lusorias in promptu habet, periculum lusus prætextu discursurus. ut Luperaltus cum Lutheranis aliquot Lutetiæ deprehensus fecit. Melius illi atque honestius, qui calculis computatoriis ac rationum libris ad eam rem abutuntur.

III. In his cavernis locisque occultis novelli isti Christiani initio formam aliquam Cœnæ cœmenti sunt, quam manducationem appellarunt, à Calvino primum iis traditam, quos in Crocellæ speluncis docebat, antequam scilicet ordinem illum & modum Cœnæ celebrandæ, qui in Calvinisticis cœtibus jam observatur, præscripsisset, quod demum factum est Anno MDLVII. quo Catechismus suum absolvit & foras dedit. Sed formam hujus Manducationis videamus, ab iis mihi narratam qui ipsi interfuerunt. Primo è cœtu aliquis ad id deputatus loca quædam ex S. Scriptura, in quibus de Eucharistia agitur, è libro legit. Inde Missam tanquam diaboli inventum, multis conviciis & horrendis blasphemis proscindit ac detestatur. Tandem, *Mei fratres*, inquit, *panem Domini, in memoriam passionis & mortis ejus, manducemus.* Tum ubi mensæ fratres assederunt, idem panem frangit, ac singulis buccellam porrigit, quam illi alto silentio & profunda in speciem devotione manducant. Eodem modo calix per fratrum manus circumfertur. Post hæc idem Deo gratias agit pro eo quod Papismi abusus & errores ipsis cōmonstravit;



ac veritatem revelarit. Hac absoluta gratiarum actione tam minister quam singuli Orationem Dominicam & Symbolum Apostolicum recitant: sicq; cœtus dimittitur. Antequã vero discedant, omnes iuramentum dant, se religionis hoc suæ secretum nemini aperturos; veterum hæreticorum exemplo apud quos illud usitatum erat: *Jura, perjura, falsim secretum ne prode.* Hæc quidem Mâducatio, uti paulo ante dixi, inter novos illos Christianos diu usitata fuit, donec Calvinus Ecclesiam suam aliquanto melius efformavit, & Ministros à se creatos, huc illuc misit. Vidi hominem, qui apud Turonenses Manducationi ejusmodi nocturne interfuit, administrante monacho quodam Augustiniano, habitũ adhuc Regularem ferente, qui postea strangulatus est. In Podiensi oppido Benearenensis ditionis, Carmelira quidã Tarbensis, Solon nomine, noctu cœdiones suas in molendino habere, ac Manducationes administrare solebat, quibus Henricus Albrechtanus, domesticis fere omnibus insciis, ob metum ne res ad Franciscum Regem, quem ægre istud lateturum non ignorabat, non raro intererat. Sunt penes me cœmentarii ab uno ministrorum ipsius conscripti; quos ad faciendam, ubi necesse fuerit, huic historiæ fidem, diligenter asservo. At bonus ille Princeps ut nimia facilitate hæreticis se adjunxerat, ita non multo post ad Catholicæ Ecclesiæ gremium rediit.

IV. Hic ego rem notatu dignam, quæ in Manducationum istorum quodam cœtu contigit, narrare operæ precium puto. Nonnulli cives Lutetiæ, metu ne in urbe proderentur, diversis viis ad eundem locum ab urbe aliquanto remotum, profecti fuerant, ut Manducationem ejusmodi celebrarent. Pane jam distributo, minister forte lagenam, in qua vinum sacramentali potationi destinatum erat, evertit. Effuso vino, miseris quid porro facerent hæsitantibus quidam consilium dedit, ut aqua substitueretur: quod tamen ab aliis statim fuit repudiarum, ut qui forte legerant quæ Sanctus Augustinus de Hydroparastis, & Sanctus Cyprianus de Aquariis scripserunt: quorum hæresin quum tota antiquitas damnavit, tum Divus Thomas pluribus scriptis refutavit. Ut enim nostri temporis hæretici puro & mero vino in Cœnæ suæ administratione utuntur, contra primitivæ Ecclesiæ morẽ, quæ vinum calici infusum aqua semper miscuit, ut S. Cyprianus notat: sic prisci illi meram aquam consecrabat atq; offerebant. Valde ergo anxii miseri isti fideles, tan-

dem à Diacono quodam monentur, posse ab uvis (autumnus enim tum erat) succum exprimi, & vini loco adhiberi. Non displicuit hoc consilium cœtus præsidi: ad quod probandum, XIII. Caput Numer. legere suis cœpit, in quo mentio fit uvæ grandissimæ, à duobus in pertica è terra promissionis ad populum Israeliticum deportatæ, quam Redemptoris in Cruce pendentis figuram esse ajebat. Hic ego scire velim, annon Manducantes isti similes fuerint veteribus illis hæreticis, qui antequam altare accederent, uvas consecrabant. Verum ecce tibi non minorem scrupulum eorum, qui è Galliis in Americam deducta Colonia, novum Calvinii ibi Evangelium propagare conati sunt, opera præcipuè Petri cujusdam Richerii Carmelitæ apostatæ, qui primus ejusdem Evangelii apud Rupellenfes præco fuit. Quæ vero hujus & aliorum vita fuerit scire cupiens, Launæi scripta legat, me enim tam infamia & horribilia facinora hoc loco commemorare, tædet ac puder. Res sic habet. Postquam sanctificati isti in nova illa Colonia aliquamdiu commorati fuerunt jamq; nullum omnino vinum, præter exiguum quid restaret, orta est quæstio, utrum alio quã vino potus genere vel liquore Cœnam Domini celebrare fas esset. Quidam ajebant, quum Dominus vino usus sit, atque ipse discipulis dixerit, se posthac de fructu vitis non amplius cum ipsis bibiturum, vino omnino celebrandum, nihilq; ex prima institutione mutandum esse. Alii contra differebant, quum Christus tum in Judæa fuerit, quum Cœnã institueret, usitato ibi potu usum esse, qui si in terris illis incultis & vini sterilibus fuisset, non solum usitato ibi potu, sed & eadem ex contrusis radicibus farina fuerit usus. Quid multis. Cõclusum tandem est, quæadmodum species panis & vini ubicumq; earum copia haberi potest, nequaquam permutandæ, aut aliæ earum loco sumendæ sint: sic nihil prohibere quominus illis deficientibus, aliæ res, quibus istis in locis homines ad alimẽtum utuntur, adhibeantur: allegata ad hoc etiam Lutheri auctoritate, qui ubi aqua desit, cerevisiam, lac, aut alium liquorem ad baptismum adhiberi posse dicat. Et hanc opinionem postea Theodorus Beza amplexus est: quæ etiam, ut Lerijs testatur, à pluribus tum probata fuit; quæstio tamen indecisa mansit, quod ad istam extremitatem non sic devenit. Hac de re Calvinus consultus (teste Beza) respondit: Servatoris nostri Sacramentum

L1 2 hoc